

derisor lecti, sic nutum divitis horret,
sic iterat voces et verba cadentia tollit,
ut puerum saevo credas dictata magistro
reddere vel partes mimum tractare secundas;
alter rixatur, de lana saepe caprina, 15
propugnat nugis armatus scilicet: 'ut non
sit mihi prima fides?' et 'vere quod placet, ut non
acriter elatrem? pretium aetas altera sordet.'
ambigitur quid enim? Castor sciat an Docilis plus,
Brundisium Minuci melius via ducat an Appi. 20
quem damnosa venus, quem praeceps alea nudat,
gloria quem supra vires et vestit et unguet,
quem tenet argenti sitis importuna famesque,
quem paupertatis pudor et fuga, dives amicus,
saepe decem vitiis instructior, odit et horret, 25
aut, si non odit, regit ac veluti pia mater
plus quam se sapere et virtutibus esse priorem
vult et ait prope vera: 'meae (contendere noli)
stultitiam patiuntur opes; tibi parvola res est:
arta decet sanum comitem toga; desine mecum 30
certare.' Eutrapelus, cuicumque nocere volebat,
vestimenta dabat pretiosa: 'beatus enim iam
cum pulchris tunicis sumet nova consilia et spes,